fragmentarium

forſam aberrare longius non uidebor. Nam ſi ea intemperante
aliquem nacta fuerit fingimus ditem auarum anhelantem
tem ſe interdiu noctuque miſere cruciantem precipitemque ex
alto fortuna. Tu miſero huic re aut alio conſilio ad ſiſtendum
duces. Uanam pietatem profecto & indignam Areophile animo
concepiſti. Uicio turgens illa paupertas quam inexplebile uotum
exhauſit & indignante fortuna. Verum ſi in quampiam
temperatum defluxerit copiarum exilitas quam paupertatem
intelligimus huic uni ceſſerit in uirtutem. Huic eſt
omni preſidio indulgendum. Muniendum hunc duabus
rebus pro mea uirili parte ſuſcipio: uirtute multa ſcilicet & amicicia
quibus inſanientis tempeſtatis aduerſe fluctus ſi non ſuperare
at ſaltem equare poſſit. Virtutis enim uim Areophile tuus ille
plautus recte complexus est. Virtus enim inquit eſt premium
optimum: uirtus omnibus rebus anteit profecto libertas ſalus 5
vita res parentes & prognati tutantur & ſeruantur: virtus
in ſe omnia habet. Omnia adſunt bona quem penes eſt uirtus.
Hec erit optanda: hec erit congeſtis uiribus amplectenda. Sed
amicicie quoque ratio erit habenda hec enim in ſe multum habet
roboris & neruorum. Quanti ſit habes Ariſtotilem. Inquit
enim ille. Amicicia maxime in uita neceſſaria eſt. Sine enim
amicis optabit nemo uiuere: tametſi reliqua bona ſint illi.
Ditantibus enim & principatus poſſidentibus maxime amicis opus
eſt neque enim bona fortuna ſeruari poteſt que laboret amicicie
caritudine. Quanto enim quiſque maior tanto erit inſtabilior

License: public_domain – Göttingen, Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen, Cod. Ms. Morbio 1 b, 5r – Philippus Ariminensis, Symposium de paupertate (https://fragmentarium.ms/view/page/F-8l46/11343/82222)